



Z c  
3511

QK. 186



BIBLIOTHEK  
POMMERANIA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SACHSEN-ANHALT)



Q. 186

44

III, 642.

642

# DE REVE

## RENDO ATQVE

CELEBERRIMO VIRO, DOMINO  
IOANNE LEISENTRITIO, OLO-

MVCENSI, IN COLLEGIATAE

ECCLESIAE BVDISSINEN:

DECANVM ELEC-

TO, &c.

## ELEGIA

### L. IOANNIS CODICII

SCHLVCAVIENSE.



**BIBLIOTHECA  
MONICKAVIAN**

**UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(BAALE)**

\*

4234

x



121/3

DEUTSCHER

LESEBUND

UND

LESEBUND

UND

LESEBUND

UND

LESEBUND

UND

VEREIN

UND

LESEBUND

UND

LESEBUND

UND

LESEBUND

UND

LESEBUND

L  
H  
C  
I

L  
O  
V  
I  
I



DE REVE

RENDO ATQVE

CELEBERRIMO VIRO, DOMINO

IOANNE LEISENTRITIO, OLO

MVCENSI, IN COLLEGIATAE

ECCLESIAE BVDISSINEN:

DECANVM ELEC

TO, &c.

ELEGIA

L. IOANNIS CODICII

SCHLVCAVIENSE.

**P**roferat ut lætum florens Ecclesia uultum,  
Inscribam numeris gaudia uera meis.  
Quos LEISENTRITIO uirtus donauit honores,  
Iucundus fuerit commemorare labor.  
Vos mecum seriem dulces euoluite Musæ,  
Sitq; nefas talem non celebrare uirum.  
Ipsam Pierijs uos enutristis in antris,  
Ducit ubi letos Calliopea choros.  
Ipsam uester amor felici sydere traxit;  
Maximus ut uatum pignora fautor amet.

A 3

Mitis

Mitis in ipsius pietas se pectore clausit,  
Efferat ut magna nobile laude caput.  
Vrbs præclara uiget scruposis condita terris,  
Quà sprea præcipiti flumine saxa rotat.  
Nomina cui quondam Regalis nupta BVDESSIN  
Imposuit, prægnans tunc moriente uiro.  
Scilicet ut regno succedat mascula proles,  
Hunc dedit in partu Vandala lingua sonum.  
Hic sacer & claro spectandus in ordine cœtus,  
A Canonum ductum nomine nomen habet.  
Cuius ut interijt properata morte Decanus,  
Templa doloriferis ingemuere malis.  
Sed sine consuetone quid rectore noceret,  
Sollicitis patribus cura benigna fuit.  
Tempus agebatur, tacite signantibus horis  
Sæcula post natum quinque decemque Deum.  
Et post lustra decem nono procliuior anno  
Mensis ab Augusto Cæsare dictus, erat.  
Iamque bis undecimam dederat Tithonia lucem,  
Fulsit ut auspicio candidiore dies:  
Conuenere patres uenerando nomine digni,  
Quorum quisque sua fert probitate decus.  
Quos ego si cuperem plenis extollere uerbis,  
Quemlibet & scriptis inseruisse meis,  
Deficeret media uox eneruata loquela,  
Dicerer & fluctus dinumerare maris.

Ergo

Ergò simul solitis petière sedilia tectis,  
Quilibet utq; suum cœpit habere locum,  
Præses ibi celebri fuit integritate probatus,  
Nomen in hoc cætu qui senioris habet.  
Ad reliquos, cuius uice, consultante Iohannes  
Sic LEISENTRITIVS uoce locutus, ait:  
Eximij, clariq; uiri, multumq; colendi,  
E, quibus est omnis dignus honore coli,  
Iam satis atq; satis uidistis, ut omnia tristi  
Nunc in deterius conditione ruant.  
Quis neget? hei nimium sensistis flebile tempus,  
Sensistis uarijs damna parata minis.  
Insuper & sæuas Ecclesia passa procellas,  
Finibus in nostris obruta penè cedit.  
Dumq; gemit mortem defuncti mœsta Decani,  
Protectore suo scilicet orba iacet.  
Nos etiam dubiæ trahimur discrimine sortis,  
Ceu sine balantes upilione greges.  
Et licet hac alij sint tempestate patroni,  
Atq; salutarem polliceantur opem.  
Quas iamen in tacito meditentur pectore fraudes,  
Impietas prauos arguit ipsa uiros.  
Impugnant nostræ quia relligionis honores,  
E gremio Christus quam tulit ipse patris.  
Mellaq; furtiuo spargunt suffusa ueneno,  
Ut possint ouium pelle latere lupi.

Latius hinc serpunt fucatae murmura linguae,  
Coruus in Albinis quæ crocitabat agris.  
Improba crudeli grassantur monstra tumultu,  
Indomitoq; parant turpe furore nefas.  
Ut quoq; iam nostri certa sine lege ministri  
Esse, reclinantes in mala facta, uelint.  
Deniq; tam nocuos uesana licentia mores  
Inuehit, & multos degenerare facit,  
Ut liceat diuæ uix respirare sioni,  
Si uincat rabidis tanta ruina minis.  
Ne curis igitur peiora prioribus instent,  
Clade secuturi iam properante mali,  
Vtile consilium mihi cum Seniore uidetur,  
Resq; pias meritum pondus habere decet,  
Ut sit cura sagax alium statuisse Decanum,  
Ne sacra sperato præside templa uacent.  
Et quia concordēs hodie consedimus omnes,  
Eligat ut dignum concio tota uirum:  
Vnanimes precibus puro de pectore fuis,  
Flaminis hinc sancti quisq; uocemus opem.  
Illius afflatu suffragia nostra regantur,  
Ut benè propositum non labefiat opus.  
Hæc LEISENTRITIVS magna grauitate profatus  
Obticuit: tanto digna loquela uiro.  
Protinus his reliqui pronas sermonibus aures,  
Candida consensu uerba probante, dabant.

Vtq;



Vtq; palàm doceant, rectè placuisse monentem,  
Cunctis unus erat consuluisse labor.  
Ergò uiam quærunt iustus ne falleret ordo,  
Eligerent dignum qua ratione uirum.  
Tandem constituunt scrutandi tramite duci,  
Vnde suum nomen splendidus actus habet.  
Felix ille status, cum non nisi recta monentum  
Consilium placida dexteritate ualet.  
Sic ubi prudenti perpendunt singula sensu,  
Possit ut euentum res habuisse bonum.  
Electi fuerant iurandi fœdere tales,  
Qui gererent uera prouida corda fide.  
Notior utq; foret cuiuslibet æqua uoluntas,  
Cura tulit certas intemerata uices.  
Non amor, aut odium, non spes auidissima rerum,  
Iudicij pressit commodioris iter.  
Publica priuatum uicere negotia lucrum,  
Successuq; fides se potiore dedit.  
Munera iurati commissa fideliter implent.  
Quoq; sit affectus quisq; fauore, rogant.  
Qualem præ reliquis hac tempestate malorum,  
Qui dignus tali præstet honore, uelint.  
Mox ubi percipiunt, quæ sit sententia cunctis,  
Mens ueluti recti conscia, testis erat,  
Inueniunt, quantum diuini gratia Flatus  
Synceris moueat corda benigna uiris.

En LEISENTRITIO cuncti sua uota dederunt,  
Omnibus hic uno gratus in ore fuit.  
Tunc benè procedunt felicibus omnia fatis,  
Cum fausto præsens omine numen adest.  
Nec dubium, placuère Deo tam iusta uolentes,  
Ille pium Stabili robore firmat opus.  
Illum supplicibus pariter dum mentibus orant,  
Spiritus ut sanctus cœpta secunda regat,  
Omnes optabant uno sermone parati,  
Vt LEISENTRITIVS munera tanta ferat.  
Dixeris id summi nutum uoluisse Tonantis,  
Tàm LEISENTRITIO tota corona fauet.  
Firmis insonuit uotis uox una, quòd omni  
Hic LEISENTRITIVM iure deceret honos.  
Sic ( reor ) è cœlo fulsit miranda uoluntas,  
Et fors indubia lege secuta fuit,  
Sanctus Apostolicis per debita signa ministris  
Tunc ubi Matthias annumerandus erat.  
Singula dum nitida suffragia luce patebant,  
Nuncia iucundi plena fauoris erant.  
Qui simul electum uelit impugnare Decanum,  
Aut aliquid contrà dicere, nemo fuit.  
At LEISENTRITIVS multis rationibus obstat,  
Solutus & hunc actum noluit esse ratum.  
Ipsius in roseo ueneranda modestia uultu,  
Non potuit grandi subdere colla iugo.

Aut

Aut malè se dignum, submisso corde, ferebat,  
Aut se non tantis molibus esse parem.  
Quin & se uario morborum tormine lædi  
Dixit, ut hoc æger non benè gestet onus.  
Ergò petit, nimio ne se sub pondere pressum,  
Sorte fatigari splendidiorè sinant.  
Neuè sibi lasso tam magna negotia cedant,  
Intentas humili rettulit ore preces.  
Quid facerent? ipsum, nihil impediante, uolebant,  
Omnis in hunc fluxit sedulitatis amor.  
Fortibus idcirco cupidi conatibus instant,  
Et LEISENTRITIVM sæpè diuq; rogant.  
Promptus ut oblatus capiat sibi pignus honoris,  
Et uelit hoc munus sponte subire, monent.  
Quodq; pijs animis suasisset spiritus almus,  
Non sinat in uacuos deperijssè Notos.  
Tamq; diu monitis non cessauère benignis,  
Dum ferat effectum caussa probata suum.  
Id LEISENTRITIVS maturo pectore cernens,  
Exhibuit faciles in pia uota manus.  
Neuè uideretur sacri contemptor honoris,  
Quem sibi de superis dixeris esse datum,  
Consensit, molli simul emoderatus amore,  
Ingenita uinci se pietate tulit.  
Tunc sibi gratantes inter noua gaudia patres,  
Deuotas alacri mente dedère preces.

A 5

Hinc

Hinc LEISENTRITIVM sacrã comitatur in ædẽ,  
Stant ubi Clauigero templa sacrata Petro,  
Illic lætitiã iucundo carmine produnt,  
Rebus & exorant prospera fata sacris,  
Præcipuè laudes blandis concentibus edunt,  
Quas fecit Monicæ filius ante cani.  
Tinnitus resonos, & acuto murmure plausum  
Pulsa sub æeris turribus æra dabant.  
Insuper in medio præstans oratio templo  
Per doctum fuerat tunc recitata uirum.  
Qua propensa Dei memorabat numina Christi,  
Quòd uero teneras nectare pascat oues.  
Electoq; fuit reuerentia facta Decano,  
Quem Deus in longa prosperitate tegat.  
Vtq; diu uiuat CHRISTI pro laude superstes,  
Omnibus orandi feruida cura fuit.  
Huic etiam, sacris solenni more peractis,  
Gratandi studio quisq; paratus erat.  
Nam qui Cæsarei pars est memoranda Senatus,  
Et Lusatiadæ dirigit arua plagæ,  
Sanguine prognatus generoso, nobilis Heros  
In LEISENTRITII corda benignus erat.  
Constantiq; fide felicia fata precatus,  
Addidit hoc tanto munera digna uiro.  
Sic clypeo clarus, ualidis & strenuus armis,  
Quem caput in ueteris Baucidis urbe ferunt:  
Præstitis

Præstitit integra magnum bonitate fauorem,  
Nec uoluit donis ultimus esse datis.  
Non minus egregia celebrandus laude Senatus,  
Et quibus urbs fasces Consulis ista fauet.  
Se LEISENTRITIO declarauere benignos,  
Hunc sibi certatim demeruisse uolunt.  
Quoq; magis, lætis studiosi mentibus orant,  
Crescat amicitia dulce prioris opus.  
Nec quid optatæ perturbet foedera pacis,  
Muneribus iungunt candida uota suis.  
Quod felix igitur sit & omnibus utile nobis,  
Detq; Deus uera cum pietate coli,  
Hac LEISENTRITIVS factus ratione Decanus,  
Successu meruit splendidiore frui.  
Fortunata dies, quæ talia gaudia portat:  
Promeruit fastos inter habere locum.  
Contulit hæc Sanctæ uiuacia dona Sioni.  
Rursus ut illustri tollat honore caput.  
Nec quicquam melius potuit contingere mundo,  
Sustinet extremum qui modò penè rogam.  
Hoc ego faticinor ( nec enim me falsa locutum  
Augurio Phœbus lucidiore probat )  
Dum LEISENTRITIVS sacri defensor ouilis,  
Excubias misero pro grege pastor aget,  
Errantes solitus lupo infestare bidentes,  
Cogetur uacuis exululare locis.

Nec

Nec furijs Decius plus quàm feralibus actus,  
In statuas ultrà sc̄viet igne sacras.  
Turpibus is uastat uicinas sordibus aras,  
Dum sic ex Opio facta uenena bibit.  
Qualis erat Samson, miro qui robore fretus  
Compulit hostiles uertere terga manus.  
Qualis erat Gedeon, multos qui strauerat hostes,  
Illidens raucis testea uasa tubis.  
Talis in effrenes famulos, fera spectra, Baalis,  
Cũ LEISENTRITIVS sacra repurgat, adest.  
Ipsum, ceu tacito gallum terrore leones,  
Sapè rebellantes pertimuère uiri.  
Seq; nimis uictos intrà sua pectora fassi,  
Indicium magna parte dedere metus.  
Ipsum terrifica quia protegit ægide Pallas,  
Possit ut à cunctis exuperare dolis.  
Vrbs iacet ad morauì lepidas celeberrima ripas,  
Illi qui terræ nomina nota dedit.  
Hæc LEISENTRITIO meritò se iactat alumno,  
Sicut Virgilio Mantua clara suo  
Qui cum Sarmatiam patrijs inuisit ab oris,  
Vrbs ubi de Gracchi nomine dicta iacet,  
Hausit Apollineas plenis successibus artes,  
Cepit & ingenij fertilioris opes.  
Contigit hinc aliàs diuerso tempore terras,  
Præradiansq; sui nominis auctor erat.

Ipsum

Ipsū commendat facundæ gratia linguæ,  
Et laudabilibus uita peracta modis.  
Ipsū Cæsar amat propter bona pignora mentis,  
Qua sibi mortales, conciliatq; Deum.  
Tali laude suam decus instaurauit in aris,  
Verus ut exornet lucida templa nitor.  
Dexteritas olim si pluribus ista fuisset,  
Non inuisa malis Tybridis unda foret.  
Ergo uirum talem totus uenerabitur orbis,  
Promeruit summa qui pietate coli.  
Det Deus, ut faustis procedat cursibus omen,  
Nec meritam uiolent astra serena fidem,  
Quā LEISENTRITIO peperit clarissima uirtus,  
Semper adhuc & adhuc gloria maior erit.  
I nunc, & superos hominum curare salutem,  
Iustè distribuant ut sua dona, nega.  
Musa faue, Clarijs humiles aduoluimur aris,  
Digna tuo petimus munere, Musa faue.  
Fac LEISENTRITII seros meminisse nepotes,  
Ipsius & laudes sæcla futura sciant.  
Pone sibyllinis monumenta perennia libris,  
Duret ut eximij posthuma fama uiri.  
Protinus ecce mihi comparuit ore sereno  
Vranie, summi conscia nympha poli.  
Ac ubi me notis oculis inspexerat, inquit:  
Sedula perficiam, quicquid alumne petis.

Fas est perpetuis inscribere laudibus illum,  
Cuius honorato fama tenore placet.  
Dixit, & in Coelum pennis sublata uolauit,  
Sicq; locuta suum dicitur ante Deum:  
Alme parens, oculis qui conspicias omnia rectis,  
Cuius ab effectu profluit omne bonum:  
Qui facis ingenuas artes seruire Camœnis,  
Aonides soboles nos tua nempe sumus.  
Da LEISENTRITIO succrescere semp honores,  
Qui tua syncera numina mente colit.  
Cuius ut auspicijs Ecclesia plena supersit,  
Te multos peragat prospiciente dies.  
Sic tua solenni fragrent altaria dono,  
Ostendantq; pias thura sabæa preces.  
His pater auditis, latum qui temperat orbem,  
Iustitiæ monstrat plurima signa suæ,  
Testatusq; preces sibi complacuisse fideles,  
Intonuit: solis gratior usus erat.  
Cumq; Deus primis elegerit agmen ab annis,  
Seruiat ut stabili religione sibi,  
Clarior eiectis radiabat nubibus aër:  
Insere nos luci CHRISTE benignè tuæ.

F I N I S.



AD REVERENDVM  
ET EXIMIVM VIRVM D. IOHAN.  
NEM LEISENTRITIVM &c.

**C**eu mea propenso legisti carmina uultu,  
Quæ dederam iusto nuper amore tui.  
Sic etiam placida capias hæc mente paratus,  
Porrigit agresti quæ tibi Musa manu.  
Illa uel hæc (fateor) poterit reprehendere lior,  
Si me iudicio turbidiore notet.  
Nam dum mens uario compulsæ labore uagatur,  
Defuerat scriptis ultima lima meis.  
Nunc ego naufragij tabulas ad littora duco,  
Mollibus aspiret blandior aura Notis.  
Non minus ut maneas mihi, Vir clariss. fautor,  
Officiosa tibi Carmina Sæpè dabo.

T. REVERENDAE  
DIGNITATI

ADDICTISS.

L. IOHANNES  
CODICIL.

# GRATVLA

TORIVM CONSCRIP-  
TVM REVERENDO

ET VENERABILI VIRO, DOMINO  
IOANNI LEISENTRITIO, OLO-

*mucensi, cum ornatus esset titulis ac insignijs*

*Decanatus Ecclesiae Budissinensis.*

*Ec.*

**H**osce Decanatus titulos Virtutis honores  
Gratulor ex animo, Vir Venerande, tibi.

Gratulor & uerè sortem tibi gratulor illam.

Atq; tibi ex animo commoda mille precor.

Munere nam tanto tanto Virtutis honore

Pro merito dignus, Vir Reuerende, tuo.

Ingenio clarus, clarus pietatis amore.

Moribus eximios equiparasq; Viros.

Est quoq; consilium semper sapientia tecum.

Te decet hinc famæ nomen habere tuæ.

Maior adhuc nostro surget tibi gloria sæclo,

Namq; tenes animi munera magna boni.

Hoc igitur tantis insignis, Carmine donis

Applaudoq; precor commoda cuncta tibi.

Atq;

Atq; simul sanctæ tibi candida tempora Vitæ  
Comprecor & rebus prospera cuncta tuis.  
Det Deus hunc ut agas annum sceleriter addat  
Nestoreosq; sua pro bonitate dies.  
Sitq; tibi facilis semper Deus, & tibi tandem  
Post obitum donet regna beata. Vale.

R. T.

DEDITISS.

ADAM RUPERTI  
Ciuis Budiss:

**H**oc carmen leto quo conuenit accipe Vultu  
Hoc tibi sinceri pignus amoris habe.  
Exiguum quamuis tamen istud mente benigna  
Sume, sciens maius me dare posse nihil.  
Aspiciasq; animi non tam data munera nostri  
Quam mentem gratam grataq; Vota mea.

B

DE

DE TVR

BATA ECCLESIAE

SALVTE, ODE EIVSDEM IOAN:

CODICII SCHLVNAVNIEN,

AD REVERENDVM ET

Eximium, Virum. D. Iohannem

Leisentritium. Budiss.

Eccle. Decanum

etc.

**M**OERor infelix miserae Sionis,  
Elicit nostris lachrymas ocellis,  
Ede lugubres querulo tenore  
Barbite uoces.

Flebili carmen repetemus ore,  
Mœsta quod uox Helchiadæ Prophetæ  
Ad ruinosos Solymæ penates  
Fuderat urbis.

Ille destructi mala fata templi  
Conquerebatur latebris in altis,  
Et Dei cultum perijsse diro  
Hoste dolebat.

Audiant

Audiant nostris resonare plectris  
Verba deserti gemebunda montes  
Quando nil mentes hominum sub ista  
Luce mouemus.

Denotat casum dolor imminentem,  
Damna sentimus satis euidenter,  
Qui tamen ueram cupiat salutem,  
Nemo uidetur.

Ecce diuini ueneranda CHRISTI  
Sponsa, funestis agitur procellis,  
Dum sedet rapto uiduæ marito  
Instar egenæ.

Pressa nocturno gemit eiulatu,  
Et diem fletu terit effluente,  
Vt ferè sit tabida lachrymarum  
Fonte perenni.

Nemo solatur malè fluctuantem,  
Nemo sub curis releuat iacentem,  
Sola sub magno tolerat tremendum  
Pondere luctum.

Funeri lucem subijt propinquam  
Sustinet magnæ tonitru repulsæ  
Spreta, & afflictis iterat querelam  
Anxia rebus.

B 2

Inter

Inter horrendam premitur ruīnam,  
Ne queat flendi reperire finem,  
Vlla comparet neq; gaudiorum  
Spesue quietis.

Nullus extructas locus est ad aras,  
Templa nec callis patet in sacrata,  
Hic ubi quondam superis solebat  
Victima cædi.

Nemo solennes celebrare ritus  
Gaudet, immensis furijs repleti  
A. DEO uero uarijs abhorrent  
Fraudibus omnes.

Pars sacerdotum perijt dolosè,  
Pars graui cessit rabie latronum,  
Corde dementes alij superbo  
Degenerârunt.

Virgines, matres, pueri, Senesq;  
Ire secura didicere fronte,  
Ne tui curent, Deus alme, sana  
Dogmata uerbi.

Densa caligo tenebras opacas  
Ingerit, spissis superatus umbris  
Sol negat lucem, uelut in profundo er=  
Ramus uerno.

Flos

Flos ut in prato uiridante marcet,  
Sic decor nobis penitus recessit,  
Cuncta deformat subigitq; crassus  
Munera squallor.

Nomen est uanum pietas, recessit  
Charitas, languet fidei uoluntas,  
Nemo sincera pia feriat  
Sabbata mente.

Quà prius uites uiridi racemo,  
Et sacras flauis segetes aristis  
Videras, tellus ibi nunc inanes  
Gignit aristas.

Triticum cedit lolio nociuo,  
Sana uanescit Panacæa, Moly  
Interit, regnant aconita diris  
Lurida spumis.

Mercibus foedis uariantur aræ,  
Templa mercator tenet impudicus,  
Inquinant ædem precibus dicatam  
Lucra profana.

Restat, ut CHRISTVS quatiens flagellum,  
Cæde uendentes premat ac ementes,  
Qui suam sedem faciunt latronum  
Esse latebras.

Quisquis es nondum Sathanae minister,  
Et Dei uerum retines amorem,  
Nec tuæ demens penitus salutis  
Pignora spernis.

Feruida CHRISTVM pietate flectas,  
Et pijs uotis reuerenter ora,  
Ut uelit certum statuiffe finem  
Casibus istis.

Tu tamen summo uenerande cultu,  
O Vir, insontis fidei Patrone,  
Huc ades, nostram querimoniamq;  
Insere menti.

Porrigas aurem facilis benignam,  
Ut meis pronus moueare dictis,  
Quæ tibi possum memorare summo  
Non sine luctu.

Me queri casus miserandus urget,  
Dum teri cerno patriæ salutem,  
Mons ubi tangit liquidas Pocenus  
Frondebis auras.

Si potes nobis mala subleuare,  
( Et potes ) mœstis precibus rogatus  
Subleua, uirtus tua sat probata  
Ante refulsit.

Sic



*Sic tibi quicquid cupis esse faustum,  
Accidat, Sic te decus insequetur,  
Cuncta nec fatis abolebit ætas  
Præmia recti.*

*Sic eris Sanctæ bona pars Sionis,  
Det tibi longam Deus ipse uitam,  
Concinent LEISENTRITIVM Camoænæ  
Laude perenni.*

F I N I S.

DECIMO CAL: SEPTEMB. ANNO  
A MUNDI REDEMPTORE  
IN CARNATO  
1559.

DECIMO CAN. SEPTIM. ANN.  
A. XVII. SEPTENTOR.  
IN. CARHATON.  
1719.

№ 3511 OK

ULB Halle

3

004 163 184



mic



Inches  
Centimetres

# Farbkarte #13

# B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

